

III.

NEOVIDENSIS.

Nro 3. (Neovidensis Nro 26.)

Ex Regno Mortuorum.

S E R M O

Pro hebdomade sacra

In Monte Calvariæ.

Die Martis 10. Aprilis 1804. (Neovid. 10. Martii.)

Textus ex libris divinis.

Vaticinare de ossibus istis, & spiritum non habebant.

Ezechiel.

Omni majoris momenti factò hoc est proprium, ut inducat nos in contemplationem, frequentemque exigat sui memoriam. Hebdomas sacra proponit nobis Historiam passi, ac mortui Servatoris Christi, atque doctrinam, quæ jam per 18 sæcula orbis universi populos ducit ad virtutem, concordiam, charitatem, & adorationem Creatoris. Nullamne hæc meretur commemorationem?

His diebus luctu involvuntur templa, homines tristes ea adeunt, oculosque in imaginem Christi cruci affixi defigunt. Sic mortem
op-



oppetiit Servator, qui longe felicior, quam hic mundus, nos docuit vitam, cœlosque reseravit. Sanctissimum Templum, & vetus monumentum multorum sæculorum! Quoties tibi jam hœrocausta sunt immolata? turmatim convolabant ad te populi, atque laudes accinebant Deo. Tu es testis tot bellorum, quæ indomiti affectus excitarunt. Victores & victi te accesserunt oblaturi triumphos, & clades. Reges, & Principes deposita sua dignitate comparant, & sæpe vilis homo, sæpe mendicus dignior est in conspectu tuo primi ordinis hominibus. Hos dies planctui sacramus, mortuus est enim Magister vitæ. Quæ recordatio!

Non nisi tremula voce ausim commemorare, esse homines nova mundi sapientia infatuatos, qui Christo patienti non compatiuntur, qui doctrinam ejus de felice futura vita in dubium vocant. Heu! si hæc ita se haberent, actum esset de nostra beatitudine.

Quid? ergo ego sum in errore credens post hanc vitam remunerationem virtutibus, & vitis pœnam impendendam? Ergo ego fallor, si condonem injurias inimicis? Si in adversa fortuna me solet æterna felicitate? Ergo spes in Deum, & immortalitas est res commentitia? Ergo pius ad sepulchrum mei Patris sensus ad præjudicia tantum referetur? Ergo ego hætenus cum toto genere humano sum ludificatus?

Sed quis sacer horror me talia cogitantem pervadit? Sto in cœmeterio solus, non-

nisi
cum
Hæc
nora
tatio
deba
vitæ
ossa
vel
dulc
in s
hæc
non

nem
esse
Vide
vive
a ba
que
teres
rami
palat
Anch
Mec
tame
terræ

tium
quisq
possi
dos e
tæ,

nisi ossa mortuorum conspicio. Verum ista paucum ante tempus amœna circumdabat forma. Hæc Calvaria in calculum vocabat sua lænora, ambitionem, & futuram vitæ sustentationem. Hoc a vermibus corrosum cor ardebat amore. Hæc manus, hi digiti gratiam vitæ vel sententiam mortis subscripsere. Hæc ossa sunt reliquiæ vel patris, vel fratris, vel alicujus consanguinei, aut amici: quam dulcis recordationis denominationes! jacent in sepulchro. O quam vellem uti Ezechiel, hæc mortuorum ossa ad vitam revocare, sed non habent spiritum. Horrenda cogitatio!

Quid est, quod mens mea ad cogitationem, me in æternum nihilum redigendum esse, mœrore afficiatur? Cur contremiscit? Videlicet desiderium post hanc etiam vitam vivendi insitum erat omnibus hominibus inde a barbaris usque ad cultos. Sepulturam ubique ceremoniæ quædam comitabantur. Veteres Aegyptii struxerant pro vita functis Pyramides, quæ magnificentia sua superabant palatia. Aeneas lachrymis rigavit tumulum Anchisis, & Palladis funus conspersit myrrha. Mecencius licet Deorum contemtor, rogavit tamen victorem Aeneam, ut sibi pauxillum terræ, in qua tumularetur, non denegaret.

Apud nos moris est, ut ultima morientium lucta ære campano significetur, ut ita quisque vel amici sui, vel civis meminisse possit. Præterea moribundo assistit Sacerdos erigens eum in spem futuræ felicioris vitæ, atque hac ratione rebus humanis eripi-

tur homo plenus cogitatione de immortalitate.

Si mors est transitus in nihilum, profecto nec vivos oporteret e vita decedentium memoria occupari. Et tamen nonne imago Patris, aut Matris, aut amici pium est familiæ monumentum? Nonne justo commovemur dolore, si quis eorundem cineres tentet profanare? — Sed errore captus sum. Homo, qui non credit vitam futuram, nec Patrem, nec Matrem, nec ullum habet amicum.

Vos infelices! Nondum intelligitis Creatorem desiderium alterius vitæ hominum cordibus ideo insculpsisse, ut felicitatem consequantur, illud enim continet commodationum, securitatem, honestatem, omnesque vitæ socialis virtutes. Sipheas in Aegypto, Xamolxes in Thracia, Zoroaster apud Bactrianos legibus commendarunt æternitatem. Celtæ, Getæ, & cæteri noti populi firmissima spe alebantur se etiam post hujus vitæ exitum victuros. Et ego credam animam cum corpore interituram? Cæsar præcipuum Orbis adeptus imperium interrogavit: ergo hoc est totum? Quid dicturus est homo infortunatus, cui toto vitæ suæ tempore nihil ex sententia successit? — Divina providentia! committeret injustitiam; Bone Deus! Potiusne est creatum ens in tam impiam prolabi cogitationem? Heu volebam mortuorum ossa ad vitam revocare, sed non habent spiritum. Inconsiderate! Spiritus, qui vitam suppeditavit, jam consistit coram tribunali justissimi Judicis.

Olim vita futura designabatur tantum per allegorias, & fabulas; nullus erat, qui eam methodo ad convincendum apta proposuisset. Inde factum, ut mores in omnem licentiam vitæ diffuerent, orbemque terraqueum vitia inundarent. Malo huic medelam attulit Creator Deus per Christum, qui adveniens in mundum non stipabatur turba famulantium, non habuit copias seu numero, seu fortitudine præstantes, nulli Provinciæ cum potestate præfuit, sola ejus paupertas omnium oculos perstringebat, quasi natus fuisset Patre inope Fabro lignario. Atque iste a superstitiosis ritibus, a vitæ licentia homines abducat! doceat æternam beatitatem! pauperis fabri lignarii filius!

Qui isthic nullum animadvertit miraculum, caligat in meridie. Omnipotentia Dei non intendit suam doctrinam vi, & metu obtundere, ne libertas subruatur, virtutisque meritum pereat, tradidit eam in paupertate, & quidem (quod miraculorum maximum miraculum est) in eo Regno, in quo homines Asiaticis splendoribus nimium quantum asseverant. Hinc Religio Christiana in paupertate nata, persecutionibus nutrita, propudiosa sui Magistri morte signata ad omnes gentes latissime dimanavit, tandem Reges & Principes, docti, atque indocti amplexi sunt, qui hodie ad sepulchrum immortalis Doctoris consistunt adorantes ejus majestatem. Neque hoc prodigiis adnumerandum? Assurgat ergo aliquis, & probet extitisse un-

quam sectam Philosophorum, quæ tam diffusam produxisset animorum consensionem; tulitne tantam ætatem sive Romanorum, sive aliorum populorum Mythologia?

Christus tamen ea semper ferebatur benignitate erga genus humanum, ut omni, quod illi imminabat malo amarissime indoluerit: testem appello Urbem Hierosolymorum. Ille nostri causa cruci affixus est, ubi inter cruciatus acerbissimos oravit pro inimicis. Quæ exempla imitationis! Vobis mortales, quos erronea mundi pervertit sapientia sub tremenda Christi cruce hanc pono quæstionem: Scitisne aliam meliorem, aut feliciorum doctrinam? Socrates olim ita affatus est Mioelem: — Sequere meam doctrinam, aut doce me meliorem.

Eam vivimus ætatem, ut terribilia undique immineant pericula; nonnisi in Religione Christi deprehenditur consolatio. Albuquerque Indiarum domitor, clarus a fortitudine, navigabat quondam per mare pacificum, exorta tempestas primo quidem, sed tanto eum perculit timore, ut interitum suum sibi videre videretur: Fæminæ in eadem navi prolem lactanti, eandem eripuit, atque inter caput suum, & tonitru fulgurans mediam tenens exclamavit: Æterne Deus, inter me, & iram tuam interpono hunc innocentem infantem, parce scelerum reo.

Hoc quoque unicum nobis suppetit solatium; stamus sub effigie Christi in cruce expirantis, Magister, Consolator, & Serva-

tor noster inter nos , & Cœlum pendet medi-
dius. — Deus miserere nostri — Tibi sortem
nostram commendamus.

Bone Deus! volebam mortuorum ossa
ad vitam revocare, sed non habent spiritum.

*His diebus in eadem hac Typographia prodi-
vit in publicam lucem:*

Caroli Danielis Nitsch, Opera poëtica, 2 To-
muli Germanice in 12.

So eben verlässt die Presse folgendes Werk:

Poëtische Schriften, von Karl
Daniel Nitsch, 1. 2. Theil: Prefsburg bey G. A.
Belnay, und Leipzig in Commission bey Ja-
cobäer. 1804. 12.

Es wird den Liebhabern und Beförde-
rern der vaterländischen Literatur angenehm
seyn zu vernehmen, daß diese poetische
Schriften die erste sind, welche von einem
Inländer; einem gebornen Prefsburger ge-
schrieben, und auch hier in Prefsburg aufge-
legt worden sind. Wir haben nur noch (die
Musenalmanache ausgenommen) die Gedichte
von Theone aufzuweisen, welche aber im
Auslande gedruckt wurden. Eine kurze Inhalts-
anzeige dieser poetischen Schriften des Herrn

Nitsch welcher jetzt am adelichen Kollegio zu Sáros-Patak, als Professor der römischen und deutschen Literatur steht, mag diese Ankündigung beschliessen. Der erste Theil enthält aufer andern lyrischen Gedichten, das Vaterlandslied eines Ungern beym Abschiede in Göttingen, seinen Freunden gewidmet; dieses kam noch in Göttingen 1791 heraus. Dann die ebenfalls schon einzeln in Prefsburg und Wien gedruckten Oden: auf den Hintritt des Fürst-Primas Batthyányi; auf den Hintritt Sr. kaiserlichen Hoheit Alexandra Pawlowna, und eine Kantate: „Peters des großen Fest“ betitelt, welche Sr. kaiserlichen Majestät Alexander dem Ersten zugeeignet ist. — Der zweyte Theil enthält zwey Dramen — Das erste ist betitelt: „das Aufgebot, ein lyrisches Nationaldrama für die Musik, in drey Aufzügen“ es ist Sr. königlichen Hoheit, dem Erzherzog Karl zugeeignet. Dann enthält dieser zweyter Theil noch eine komische Operette in drey Aufzügen, der Kirchweihtag betitelt; und noch eine, erst während des Drucks dieses Werkes geschriebene Ode an Se. kön. Hoheit den Erzherzog Karl.

Bejde Theile werden in obengemeldeter Buchhandlung zu haben seyn. Die Tit. Herrn Subscribenten werden ersucht, ihre Exemplare abholen zu lassen.